

*Capsula* magis carnosâ, in aliis fere membranacea, vâ-  
cua ut in *Cardiospermo* est, sed semper angustior.

### 99. CARDIOSPERMUM. *Gen. Pl.* 394.

Circa hanc plantam pauca observavi, quæ charact. *Gen. l.*  
c. non attingit, necessaria tamen ad exactius distinguen-  
dum hoc Genus a proxima *Paullinia*.

**COR.** *Petala* inferiora remotiuscula.

*Nectarium* . . . foliolis basi petalorum innatis, superioribus duobus subovatis, apice conniventibus connatis, ex apice introrsum & deorsum demittentibus laciniâs lineares obtusas, latere connatas, obtegentes glandulas duas subrotundas, innatas basi interiori floris, majusculas; inferioribus duobus obverse ovatis, simplicibus, remotiusculis, solutis.

**STAM.** tria superiora, quinque inferiora &c.

### 100. BAUHINIA. *Gen. Pl.* 406.

Vereor ut omnes species exacte in fructificatione convenient. Calycem nullum inferius dehiscentem vidi, nec unquam stamina diadelpa s. connata, nec adeo sterilia. Interim in specie una (*Spec. Pl.* 374.) *Corolla* pentapetala fuit, tubulata & erecta; in altera (aculeata) *Corolla* pentapetala, patenti-plana; ambæ vero petalis planis nec undulatis. *Scandens*

a) **BAUHINIA** caule cirrhifero *Spec. Pl.* 374. 1.

**CAL.** *Perianthium* monophyllum, ovatum, laxum, striatum, apice summo contractiore, quinque-dentato; subbilabiatum: dentibus setaceis, sinibus obtusis: duobus superioribus a tribus inferioribus sinu utrinque profundiore, acuto, distinctis.

**COR.** *Petala* quinque, erecta, apicibus lineari-teretibus, pubescentibus: *Laminis* obovatis cum acumine, calyce duplo triplove longioribus: horum quatuor inferiora fere in eodem plano posita, æqualia; quintum superius paulo brevius, lamina angustiore, ungue vero latiore gaudet.

**STAM.** *Filamenta* decem, soluta, subulata, calyce breviora; horum quinque exteriora in eadem serie cum petalis inserta; interiora quinque alterna. *Anthera* subrotundæ.